



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Alphonsi Madriliensis De Vera Deo Apte Inserviendi methodo Libellvs Avreus

Alfonso <de Madrid>

Coloniae, 1608

De aliqua honesta recreatione assumenda. Cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48891](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48891)

remur in bonis cogitationibus ac desiderijs quæ occurrerint: quòd si nõ occurrerint, ea procuremus magna solertia. Contra verò, vt separemus, magnaque cum abominatione abijciamus mala ac vana desideria quæ passim occurrunt. Nam in quolibet horum agendo magnum Deo exhibebimus obsequium: sunt enim magna animæ opera etiam si ex nostra cæcitate ea parui æstimemus, cum in rei veritate etiam vnicū prauum desiderium, cui locum damus, sit dignum æterna morte: bonum verò gloriam promereatur nunquam finiendam. Porro bonas cogitationes dicimus circa vniuersa quæ in hoc libro aut in alijs huiusmodi scripta sunt: prauas verò quęcunque circa peccata versantur, vt vitia ac fastus huius mundi.

*Male cogitationes summa diligentia sunt reijciende.*

*Cuius boni vel mali cogitationes cause sint. Cogitationes bonæ & mali que sint.*

## CAPVT XI.

*Quod assumi potest honesta aliqua recreatio in leuamen laborum nostræ fragilitatis corporeæ.*

**L**Audant philosophi, nec reprehédunt theologi iucundas aliquas

*In re-  
creationi-  
bus quo-  
modo se  
gerendum.*

*In recrea-  
tionibus  
quod pro-  
positum  
habere  
debemus.*

*Recrea-  
tionis in  
quem finē  
& quo  
modo sint  
assumen-  
de.*

aliquas recreationes, iuxta cuiusque ætatem ac conditionem. Est tamen animaduertendum, quòd in huiusmodi recreationibus quisque debet cautè admodùm incedere: latet enim in illis præcipitium, si multum in illis occupemur, aut ea ex animo assumamus. Debent igitur quantum ad opus ipsũ honestè recipi: potius tamen moriendum est, quam vt vitiosum aliquid committamus, quãtumuis necessaria nobis sit recreatio. Præterea temperatè sumi debent, ita vt potius seruiant pellendo fastidio, quàm vt potissimum quæratur recreatio, vtque vno verbo concludamus, assumi debent, tanquam ea quæ in se minime sunt æstimationis, sed ne deficiat miserum hoc corpus quod illis eget: puta dormire, edere, cæterisque huiusmodi miserijs, & corporeis recreationibus. Qui etiã filios habent, ipsos circa prædicta monere deberent, alioqui hostes se ipsis exhibent non patres. Porrò exercitia recreationum quæ cum aliorum damno fiunt, veluti sunt nonnullæ

nullæ venationes, reputari debent inter vitiosa, & illorum loco substitui honesta: neque satis facit quorundam excusatio, qui se admodum inclinatos asserunt ad venationes, aut alia huiusmodi: ob id enim legibus altissimi subiicimur, vt nõ quod cupimus, sed quod debemus operemur. Ob hanc autem subiectionem plurimùm gaudere ac lætari debemus. Est enim gloriosum, tam sublimem habere Dominum, & ipsi seruire: potissimum cùm ab illa maiestate tam sublimia expectemus præmia.

*Venationes quæ cum damno proximi fiunt omnino tollendæ.*

## CAPVT XII.

*De termino quem singulis diebus imponere debemus, & quod initium nocti in qua nobis quiescendum est.*

**R**eliquum in quo vita nostra impendetur, est somnus aliquis: qui non ad vitium assumentus est, sed vt corpus vires recipiat, quibus Deo Domino nostro seruiat. Annotandum ergo est quòd, vt melius hoc agamus, accedente nocte

*Somnus cur sit assumendus.*